THESES THEOLOGICAE
De Incarnatione Domini
ET
De Gratia

QUAS

In Collegio Lupiensi Soc. Iesu

Propugnandas Suscipiunt

D. PANTALEON CURSANO PRESBYTER

D. PETRUS FLORA DIACONUS

2. Septembr. MDCCCXLIV.

FACTA CUILIBET POST QUARTUM ARGUENDI FACULTATE



BARII EX TYPOGRAPHIA FRATRUM CANNONE



DE INCARNATIONE DOMINI

I.

Contra Protestantes non paucos et incredulos tuemur Deum non semel in Veteri Foedere (1) hominibus promisisse Messiae adventum; qui, cum purus homo quantalibet gratia ornatus perfecte pro peccato satisfacere non posset, per condignam satisfactionem hominis peccatum deleret.

II.

Promissum in lege Messiam, quem ex testimoniis Veteris et Novi Testamenti simul collatis Iesum a Nazareth fuisse aperte constat, iam dudum in mun-

(1) Gen. III. 15. XII. 3. XVII. 18. XXII. 18. XXVI. 4.

dum venisse luculenter contra Iudaeos probant prophetarum vaticinia, iacobi praesertim, Danielis, Aggaei et Malachiae (1): quae frustra neoterici biblici ita exponere conantur, ut vel Messiae notio ex illis penitus evanescat, vel ad alium quempiam, praeter Iesum, referantur.

III.

Sabellium insipienter asserentem non Filium solum, sed et Patrem hominem esse factum sacrae litterae aperte redarguunt docentes solum Verbum factum esse carnem (2): quae vere et realiter ex B. Virgine Maria sumpta fuit (3); non de coelo delapsa, ut Valentino et Apollinari placuit.

IV.

Christus itaque, utpote verus homo, intellectu, et humana voluntate carere non potuit; idcirco non solum infinita, sed etiam creata scientia fuit praeditus. Fuisse praeterea ornatum et gratia unionis, per quam eius humanitas sanctitate substantiali fuit sanctificata, et gratia habituali cum caeteris, quae gratis datae dicuntur, et Spiritus Sancti donis fatemur.

---

(1) Gen. XLIX. 8. seqq. Dan. IX. 24. seqq. Agg. II. 7. seqq. Malach. III. 1. seqq.

(2) Joan. I. 14.

(3) Matth. I. 25.

V.

Verbum insuper assumpsit passibile corpus, non tamen defectibus illis obnoxium, qui vel ex imperfecta corporis formatione, vel ex culpa oriuntur. Nullo autem modo vel macula ulla, vel peccati fomes, immo nec peccandi potentia in Christo est admittenda. Ejus vero passiones, cum imperfectionibus, quae in nobis sunt, commixtae non fuerint, *propassiones* cum S. Hieronymo (1) appellare libet.

VI.

Unionem Verbi cum humanitate peractam esse in unitate suppositi, ideoque unam in Christo esse personam, eamque divinam, contra Nestorium, qui moralem tantum illam esse dixit, ab Ecclesia catholica docemur. Hinc pronum est deducere B. Mariam vere fuisse Matrem Dei. Naturas vero divinam et humanam distinctas et impermixtas post unionem mansisse contra Eutychetem defendimus.

VII.

Unde fluit admittendam esse in Christo idiomatum communicationem, ut loquuntur theologi, in concreto tamen, non vero in abstracto. Quapropter longe

(1) In Matth. 26. S. Thom. 3. p. q. XV. a 4.

a veritate discedunt Lutherani, qui Eutychiana labe infecti humanitatem Christi esse ubique praesentem contendunt.

VIII.

Quidquid tandem de ratione conciliandi Christi libertatem cum eius impeccabilitate decernatur, hoc tamen firmissimum tenemus ipsum per actus humanitatis liberos vere meruisse, sibi quidem corporis gloriam et exaltationem nominis, nobis dona omnia gratiae et gloriae; Angelis vero ad minimum accidentale gloriae augmentum.

IX.

Gravissime errarunt Sociniani Christi satisfactionem impropriam et metaphoricam fuisse asserentes. Contra quos cum veritate catholica dicimus vere et proprie ipsum pro mundi peccatis satisfecisse; eiusque satisfactionem non solum aequivalentem, sed et superabundantem esse censendam affirmamus.

X.

Licet iuxta Apostolum (1) unus Christus Iesus mediator Dei et hominum sit, eius tamen mediationi

(1) I. Tim. II. 5. 6.

nullo pacto B. Mariae et Sanctorum in coelo regnantium invocatio adversatur, ut Protestantes blaterant. Quapropter cum ipsi pro nobis orent, pium et utile est ipsos invocare. Insuper cum supernaturali excellentia sint ornati, aliquem religiosum cultum illis esse tribuendum cum Ecclesia tuemur.

DE GRATIA

XI.

Contra catholicam veritatem sentiret qui hominem sine interiori gratia aliquod opus salutare, seu ducens ad vitam aeternam suis naturalibus viribus efficere posse cum Pelagio putaret; vel saltem fidei initium sine Spiritus S. illustratione et inspiratione, eiusque adiutorio consequi posse cum Massiliensibus contenderet.

XII.

Non tamen inde consequens est omnia infidelium opera esse peccata : sed cum liberum arbitrium non sit per peccatum extinctum (1), posse illos, licet gratia Christi destituantur, aliquod bonum opus mo-

(1) C. Trid. ses. 6. cap. 1.

rale ordinis naturalis praestare contra Baium et Iansenium asserimus.

XIII.

Licet homo lapsus absque divinae gratiae auxilio nequeat potentia morali omnia legis naturalis praecepta servare etiam quoad operis substantiam ; potest tamen amore tum benevolentiae tum laudabilis concupiscentiae imperfecto Deum ut naturae auctorem diligere.

XIV.

Gravissime erravit Iansenius docens interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resisti (1). Contra ipsum itaque dari in hoc statu gratiam vere sufficientem tuemur , quae homini facultatem tribuit completam et expeditam ad opus bonum prosequendum, et relativam, ut dicunt , ad circumstantias, in quibus ipse invenitur; quaeque ideo effectu caret, quia homo pro sua libertate ipsi resistit.

XV.

Etsi plura a theologis sint excogitata systemata , ut in quo tandem divinae gratiae efficacia sit re-

(1) Prop. 2. Jans.

ponenda invenirent; firmum tamen contra Novatores esse debet apud omnes auxilium efficax nullam humanae libertati inferre necessitatem.

XVI.

At reiiciendum prorsus est systema a Iansenio confictum, in quo divinae gratiae efficacia in quadam coelesti indeliberata delectatione reponitur, quae dum oppositam imbecilliorem concupiscentiam necessario retundit, hominis libertatem omnino evertit.

XVII.

Quod ad gratiae distributionem pertinet, iustis omnibus, urgente praecepto, gratias vere sufficientes a Deo conferri, quibus omnia praecepta servare possint contra Iansenium tuemur (1). Nec peccatoribus ullis huiusmodi gratias pro loco et tempore dari negandum est, quibus vere possint et peccata cavere, et ab illis si velint, resipiscere.

XVIII.

Quoniam vero Deus neminem vult perire infidelibus etiam gratias vere sufficientes pro loco et tempore, quibus remote saltem et mediate, ad fidem et salutem venire possint, conferri dicendum est.

(1) Prop. 1.° Jans.

XIX.

In iustificatione impii non solum peccata vere remitti, sed et sanctificari et interius hominem renovari per voluntariam gratiae et donorum susceptionem dicimus cum Tridentino (1). Quapropter perversissime asserunt Protestantes solam fidem iustificare, et nulla adultum hominem dispositione indigere ad ipsam iustificationem consequendam.

XX.

Iustificationem semel susceptam per peccatum deperdi posse scripturarum testimonia et exempla apertissime ostendunt. Non posse insuper hominem iustificatum in accepta iustitia perseverare usque ad finem vitae absque speciali Dei auxilio, cuius magnum donum est perseverantia, enixe defendimus.



(1) C. Trid. ses. 6. cap. 7.